



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 273. An res litigioso vendi possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

tori, ut se servet indemnem recipiendo ab illo pretium; cum nemo teneatur rem alienam cum proprio damno redigere ad meliorem statum. Quod posterius etiam admittant adversarii, negant tamen cum Molin. posse aliquem rem alienam extrahere ex illo statu deteriore, in quo fuit, ac dein denuo in priorem statum cum damno domini rationabiliter inviti eandem collocare, ne aliàs dicendum, idem posse emptorem malæ fidei, de quo tamen id negant posteriores hi AA. Fundamentum verò prioris sententiæ est; quòd si dominus repetat ab emptore rem ei venditam, is eam restituere teneatur, & à Judice ad hoc compelli possit, etiam si, ut dictum, nihil ab eo recepturus; adeoque ad idem teneatur, dum dominus eam non repetit, vel quia non scit, ubi ea sit, vel quia non potest eam vindicare ob deficientes probationes; cum talis non petitio domini sit omnino pro accidentis respectu obligationis restituendi, utpote non fundata in petitione domini, sed in ipso jure, quòd dominus ad rem suam habet. Nihilominus potest his non obstantibus, ut habet communis, emptor bonæ fidei rem restituere venditori, ubi prudenter judicat nullum inde damnum oriturum domino; eò quòd venditor ipse sit sponte restitutus, vel dominus ab eo rem suam facile & sine incommodo consequi possit. Molin. l. c. num. 1. apud Reiffenstuel. num. 111. qui etiam cum eodem num. 3. & Covar. loc. cit. addit emptorem bonæ fidei, postquam rem bona fide restituit venditori, putans id sibi licere ad recuperandum pretium, ad nullam amplius teneri restitutionem faciendam domino, etiam si ex eo damnum patiatur. Ut etiam, si Cajus rem bona fide emptam rursus bona fide vendat Titio, dominus nihil à Cajo prætereundere potest, sed à Titio, hic tamen privatus equo per evictionem, actionem habet contra Cajum, & hic contra venditorem. pro quo Reiffenstuel. num. 113. citat Covar. Laym. Sanch. Sylv. Qualiter de cetero & quando teneatur venditor ad restitutionem domino faciendam ob venditionem rei alienæ. vide apud de Lugo de 7. & 7. d. 17. f. 1.

Quest. 273. An res litigiosa vendi possit?

R Esp. Tametsi hodie dum rem litigiosam vendi posse salvo jure tertii, asserat Struv. exercit. 46. th. 51. apud Muller. tit. de contrab. emp. th. 27. lit. 2. rem tamen propter vitium litigiosæ ei inhærens vendi non posse juxta l. 1. & fin. C. de litig. cum communi tenet Lauterbach. ad tit. de contrab. emp. 18. quavis addat, citatis pro hoc cit. l. 1. & fin. Franzk. cit. tit. à num. 145. venditionem illius non ipso jure, sed per exceptionem rei litigiosæ annullari. Et constat ex toto tit. ut lite pendens. ubi quest. 471. dixi, rerum litigiosarum alienationem prohibitam esse, & ipso jure nullam, vel per Judicem irritandam. item quest. 470. num. 2. quòd lite pendente super onere rei imposito aut ejus possessione possit alienari unà cum isto onere, & proprietatem sine possessione: item quest. 471. num. 2. varios adduxi casus, in quibus rerum litigiosarum alienatio valida & licita, quæ vide.

Quest. 274. An res dotales vendi possint?

R Esp. Fundus dotalis vel alia res immobilis ab

uxore allata marito ad supportanda onera matrimonii alienari nequit, L. fundus. ff. de fund. dotal. Sic quoque rem donatam uxori propter nuptias, seu in compensationem & securitatem dotis maritus alienare, adeoque nec vendere potest aut hypothecare seu nomine hypothecæ obligare, etiam si mulier consenserit, & juri suo renuntiavit; eaque venditæ competit mulieri in rem actio, seu utilis rei vindicatio. Auth. sive à me. C. ad SC. Pellegan. Pirh. h. t. num. 41. Wiestner. num. 74. Nisi jurasset se suæ renunciacioni non contraventuram, ut Wiestner. citatis C. cum contingat. de jurejur. & c. licet. eod. in 6. Vel nisi post exactum biennium uxor denuo consenserit alienationi, & quidem eo consensu in scriptis dato, sintque in bonis mariti res alia, quibus indemnitati mulieris sufficienter cautum sit. cit. Auth. & Auth. ut immobiliæ ante nuptial. donation. §. & sancimus. coll. §. ejusmodi autem geminatum consensum intervenisse, ex lapsu 30. annorum, quibus mulier non contradixit, neque rem donatam propter nuptias repetivit, præsumitur. Arg. c. pervenit. h. t. Pirh. loc. cit. citans Mascard. de probat. concil. 371. num. 92. quemadmodum istiusmodi solemnitates extrinsecas ad alienationem necessarias intervenisse & tali temporis lapsu rectè præsumi ait Abb. in cit. c. pervenit. n. 7.

Quest. 275. Num res hypothecata vendi possit?

R Esp. Res in hypothecam tradita vendi potest ab eo, qui eam in pignus dedit, dominiumque illius unà cum hoc onere ei inhærente transferri in emptorem, nisi adjectum esset pactum de ea non alienanda. l. 7. §. fin. de distract. pignor. Covar. l. 2. var. resol. c. 15. num. 3. Tiraquell. de retract. convent. §. 3. gl. 1. num. 6. quos citat & sequitur Struv. in ff. de contrab. emp. th. 26. lit. 7. & ibidem Muller. qui tamen lit. 8. addit, excutiendum tertium possessorem hypothecæ, nisi prius debitoris bona excussa sint juxta Auth. hoc ita C. de pignor.

Quest. 276. An & qualiter quilibet Condominorum ejusdem rei partem suam vendere possint?

R Esp. Quavis de sua parte regulariter quemlibet condominorum quandoque disponere, adeoque & eam vendere, posse juxta l. 1. & 2. C. commun. divid. & l. 68. pro socio. idque etiam socio invito, regulam esse dicat. Muller. ad tit. de contrab. emp. th. 26. lit. 2. cum Struv. citans pro eo Perez. in Cod. cit. tit. & c. Nihilominus aliquem ex pluribus condominis certam, quæ demonstrari possit rei communis pro indiviso partem alienare non posse, eò quòd solus non sit dominus certæ partis in re communi, sed singuli condominorum æquale jus obtineant in unaquaque rei communis parte, asserit Idem cum Besold. conf. 49. num. 3. & c. etiam partem suam pro indiviso condominis vendere non prohibeatur. l. 13. §. 17. ff. de act. empti. cit. l. 68. ff. pro socio. l. 1. & 2. C. commun. divid. ut Mull. citatis Mynsing. Gratian. & c. Sed neque, dum aliàs potest suam partem ex re communi vendere etiam aliis, poterit adhuc eidem imponere servitutum. l. 6. §. 1. ff. commun. divid. Mull. loc. cit. Fiscum quoque vendentem rem communem posse ex privilegio sibi competente rem pro modica parte suam, & ita communem in solidum distrahere, salva